ORATIO FVNEBRIS, IN LAVDES, ET RES GESTAS SANCTISSIMI PRAESVLIS, IOANNIS DE MEDICIS, S.R.E. Cardinalis vigilantiſsimi.

Conſcripta à Hieremia Martio Auguſtano Medico.

Florentiæ apud Filios Lauren. Torrentini Ducalis Typographi. 1563

COSMO MEDICI,

ILLVSTR. ET EXCELL.

FLORENTIAE, ET SENARVM DVCI,

DOMINO SVO VNICE COLENDO,

HIEREMIAS MARTIVS MEDICVS.

εὖ ὑγιαίνειν

SCRIPSI proximis festiuitatis Christi ociosis diebus, Dux Illustrisſime, cum à grauioribus studiis animū recreare vellem, orationem de vita, & laudibus, IOANNIS filii, adolescentis sanè vt nobilisſimi, ita omnium quos ego in vita vnquam vidi, optimi, & non tibi tantum qui mirificos ex illius excellenti virtute & indole fructus capiebas, eiusque in amore conquiescebas, sed vniuersæ ciuitati, & bonis omnibus, charisſimi, quam ad te mitto, non vt dolorem quem acerbisſimum omnium in vita hausisti retractando augere, vel consolationem afferre ei, quem cæteros prudētia, & animi altitudine vincere, nulliusq; consilio indigere certò scio, vel summas tuas occupationes interpellare velim; sed vt meum in te, cuius eximias virtutes magna obseruantia, & admiratione prosequor, & in amplisſimam familiam vestram, ad totius orbis terrarum immortale decus natam, perpetuū studium, gratiq; animi constantem voluntatem declarem. Quod enim tuo, clementisſime Princeps, qui omnium virtutum apud omnes homines, maximeq; apud omnes Principes, & Monarchas opinione flores, singulari beneficio, & summa benignitate, sedem studiis meis nō modò commodam, verum etiam vtilisſimam nactus, & in celebre illud νοσοκομεῖον tuum, vt ibi in re medica periculum

facerem, intercessoribus amplissimis viris, Ioanne & Marco Fuggeris, & Bernardo Vecchietto, ciue Medicæi nominis studiosissimo, quibus ego mirificè deditus sum, & maximis obligationibus obstrictus, idq; eorum merito, receptus sum: quanti illud apud me esse putas? Pro quo beneficio, vt eas celsitudini tuæ agam, & referam gratias, quas debeo, non modò meæ, sed ne vllius quidem humanæ facultatis est. operam tamen dabo, id quod hoc tempore vnum polliceri possum, ac debeo, vt istam tuam ad me augendum tàm propensam voluntatem plurimi apud me esse, & semper fore, libentissimè apud omnes prædicem. Interim quando maioribus in rebus animum meum hactenus perspicere non potuisti, hac saltem oratione quamuis amplitudine tua indigna, meam summã ac perpetuam obseruantiam ergo celsitudinem tuam, incredibileque, & indefessum studium declarandum esse existimaui. quam si celsitudini tuæ gratam fuisse animaduertero, non leuis mihi fuerit stimulus additus, ad alia lucubrãda, & fortasse, vt dies diem solet docere, meliora nomini tuo consecranda. Reliquum est, vt Deum ex animo rogem, vt te, Dux præstantissime, sua semper cura, custodiaque tueri, omnia prospera largiri tibi, & ab omnibus fortunæ, & temporum iniuriis liberum atque immunum conseruare velit, quo nihil quicquã magis in votis habeo, atque exopto. Florentiæ XIIII. Februarii anno Christi, Dei nostri MDLXIII.

Tuæ Celsitudini

Addictiss. & ad omnia officia paratissimus

Hieremias Martius August. Medicus

CREDO *ego vos mirari, idq; non iniuria, viri omni genere laudis praestantiss. quod ego, nullo vel ingenio, vel dicẽdi facũdia praeditus, alijq; professionis generi ab hoc munere alieno prorsus addictus, in hunc locum orandi causa conscenderim: temeritatisq;, & stultitiae accusare me, quòd post Petrum Victorium, virum scientiae, et doctrinae laudibus excellentissimũ, eloquentiaq; à pueris quasi in hanc vsque aetatem clarissimum, quicquàm in medium proferre, aut de lectissimi, ornatissimiq; adolescentis,* IOANNIS *Medicaei Cardinalis laudibus (quarum equidem exitum, quam principium inuenire difficilius est) disserere, easq; dicendo ornare instituerim. Quod enim ab hoc summo viro nihil afferri soleat, nisi quod perfectum ingenio, elaboratumq; industria, qua vnus omnium maximè excellit, sit: cuilibet vestrum, quibus ex familiaritate sua, & quibus orbem illustrauit scriptis, omnes suae virtutes notissimae sunt, clarum esse existimo. Cuius oratio ita omnibus ornamentis abundauit, itaque animis omnium penitus insedit, vt plus voluptatis ex recordatione illius orationis, quàm non modò ex mea, sed ex cuiusquam oratione capere possitis. Sanè luctum ciuitatis totius ita homo ad dicendi singularem quandam facultatem natus expressit, et ob oculos proposuit, vt nescias oratio ne illius, an mors Cardinalis, temperatissimi, & sanctissimi iuuenis maiorem dolorem legentibus faciat.*

Consolatur me tamen, & acrius ad dicendum inflammat, conspectus hic vester omnium iucundissimus, cuius beneuolentia fretus, quamuis ingenium voluntati minimè par sit, egoq; plus oneris sustulerim, quàm ferre me posse intelligam, parumq; temporis huic

studio vni omnium, vt mea fert opinio, difficilimo, impartiuerim: spero vos instituti mei rationem probaturos, & voluntatem, quæ mihi semper optima fuit, pro re minimè grauatim accepturos esse. Quod vt mihi persuadeam, & amor quo incredibili vos prosequor singulos, & beneuolentia, qua etiam immerentem me côplectimini, faciût. Ego, quod mei muneris est, antequàm dicêdo vlterius progrediar, viri clariss. & optimi, vos omnes maiorem in modum, etiam atq; etiã rogatos volo, primùm vt huic orationi, quantumuis parùm eleganti, benignas aures (id quod æquissimum est, & de quo magna spes me tenet) præbere, & si quid minus eleganter, aut quod à vestro acutissimo iudicio abhorreat, aut durius siue imprudentius à me dictum fuerit, timori potius, & luctus magnitudini, quàm inscitiæ vel incogitantiæ, à quarum vtraque alienissimus esse studeo, imputare velitis. Ego enim (credatis affirmanti velim) hoc munus officij ratione potius, quàm dicendi, aut eloquentiæ ostentandæ, vel laudis alicuius aucupandæ studio incitatus, suscipere non dubitaui. Quod enim in eo loco nunc sum, vbi studia mihi pro arbitrio colere, Medicinæq;, arti vni omnium in vita vtilissimæ totis, & animi & ingenij viribus operam nauare possum, id totum beneficentiæ splêdidissimæ familiæ Mediceæ, & Isidori de Monte Auto quem ut alterum parentem, & obseruo, & diligo, cuique beneficiorum memoria sempiterna sum obstrictus, humanitati debetur. Quibus hac ipsa oratione, voluntatem meam declarare, gratique animi significationem exhibere, dolorique recenti solatium aliquod afferre decreui. Quemadmodum .n. ea quæ præter expectationem accidunt, ijs quæ præscientibus nobis, animoq; futura mala prospicientibus, grauiora esse solent: ita profecto inopinatus Ioannis Medicæi Cardinalis, iuuenis ad omne virtutis decus expectatiss. ex hac vita discessus, ita

animos

animos omnium perculit, tantoq; dolore affecit, vt à longo tempore lachrymis modũ facere, aut a mœrore abduci nequaquã potuerint. Neq; id vllum admiratione afficere debet. Quis enim vnquàm credidisset, nisi sensus omnis penitus expers, & omnium rationum humanarum ignarus, iuuenem istis lateribus, ista forma, isto virium ac ætatis robore, animique firmitate, nihilque tale metuentem, in medio ætatis cursu, & virtutum suarum exoriente splendore, tàm subitò posse extingui? O miseram vitæ humanæ conditionem. Quàm multa non modò contra voluntatem, verum etiam præter opinionem homini contingunt. Utinam humanæ fragilitatis, rerumq; nostrarum inconstantiæ, in alio potius, quã in hoc spectatissimo, omnique uirtutũ genere ornatissimo iuuene, inuida mors exemplum dedisset nobis. æquiore fortassis animo hunc tàm acerbum casum toleraremus, neque ita humanæ conditionis, & imbecillitatis nostræ memores, de statu mentis deiicere mur. Sed cum is fuerit ereptus nobis (proh dolor) quo post hominum memoriam vix ullus unquam, aut charior, aut gratior fuit omnibus, quo pater optimus, & clarissimus tanquam spe unica requiescebat, quo Ecclesia tanquàm defensore nitebatur acerrimo, non possum non ingemiscere, uicemq; non nostram tantum, sed totius Reipublicæ Christianæ damnum acceptum ex animo deplorare. Utinam uerò uiui uirtutes, quibus innumerabilibus fuerat ornatus, commemorare, memoriaq; sempiterna prosequi potius, quàm mortui obitum deflere deberem. facilius fortasse, & magis ex animi sententia uerba fluerent, neque tàm aspera, tamque inculta uideretur oratio. Sed quia & fletu impedior, & mœrore animi penitus ita conficior, ut uix mei ipse compos sim: ueniã dabitis mihi (quis enim tantum affectibus imperare queat?) si minus ornatè, uel appositè omnia, quæ de huius præstantissimi iuue

nis laudibus mente concepi (de quo quotiescũque cogito, toties animus nouo dolore obruitur) dicendo expressero, uerbisque consecutus fuero. Atque utinam hac uirtutum suarum narratione, ob quas cum paucissimis excellebat, quorundam fletus, quibus modum constituere nesciunt, abstergere, adque mentis pristinum uigorem, & hilaritatem reducere eos, dolorique leuamen aliquod afferre possem. Sed quæ unquam fuit aut tanta eloquentia, aut tàm incredibile, atque diuinum dicendi genus, quod uirtutes huius optimi, & mitissimi iuuenis, non modò augere, aut ornare oratione, sed enumerare, aut dicendo complecti possit?

Primùm enim vt a bonis fortunæ initium ducam, quæ vnquã quæso post hominum memoriam extitit, aut adhuc hodie extat, maiorum suorum præclaris testimonijs, virtutumq́ monimentis, hac familia illustrior? equa tot extitere, & adhuc hodie superstites sunt tot Reipublicæ labascentis conseruatores, tot sapientissimi principes, tot prudentissimi Duces, tot sanctissimi Cardinales, atque Pontifices. Cuius rei etiam me tacente abundè testis esse poterit, Cosmus ille senex, præstantissimus ciuis, cùm genere & nobilitate, tum gratia ornatissimæ vrbis florens, cuius tot & tam magna in Rempublicam, quæ toties nobilium quorundam perniciosò furore tentata fuit, & in summũ discrimen adducta sæpius, merita sunt, vt eum æterna memoria prosequi, cum iam piorum locum & sedem consecutus sit, optimo iure debeamus. Cuius virtus nec obliuione eorum qui nunc sunt, nec reticentia posterorum insepulta esse poterit, cũ sibi ipse suis diuinis virtutib. immortale propè monumentum extruxerit. Et quis de tali ciue satis digne vnquã loquatur? Hic veterum maiorum suorum de omnibus benè merendi consuetudinem nulla prorsus fortunarum suarum ratione habita constantissimè vsq́ ad extremum spiritum retinuit. Concursus

quotidie

quottidie ad illum fiebat optimorum virorum, qui aut ipsi rempublicam consilio iuuare, aut rebus perditis medicinam adhibere possent. Omnino magnus hic vir, summisq; virtutibus ornatus, ob eximiam suæ naturæ liberalitatem atque amplitudinem benignè facere & solebat, & poterat, & ad benè merendum de omnibus natura maximè propensus erat. Omnem suam industriam, omnẽ curã, omnes deniq; cogitationes, in Reipublicæ dignitate tuẽda, eiusq; in columitate, in qua suam quoque inclusam esse vir ad omnia summa natus existimabat, procurãda, ponebat. Quo factum fuit, vt vnus omnium præstantißimus, & salutis reipub. studiosißimus ciuis, non a multitudine Florentina tantum, sed & aliarum totius Italiæ ciuitatum populis communi iudicio & consensu haberetur. Neq; enim autoritate tantum, qua maxima pollebat, & opibus instructißimus erat, sed & liberalitate, & prudentia, quibus virtutibus mirificè excellebat, cæteros omnes longißimo interuallo post se reliquit. Inter virtutes autem nulla fuit ex omnibus, quæ maiorem multitudinis beneuolentiam conciliaret illi, quàm liberalitas. Ab auaritia qua nullum tet rius est vitium in principibus, & his qui Rempublicam gubernant, quàm longißimè ab fuit, ciuium cõmoda defendit, eosq; in æquitate continuit. Huius incredibilis in Deum pietas, & in homines coniuncta cum prudentia liberalitas, et eximia animi constantia in causa fuere, vt quãuis priuatam vitam ageret, maiora tamen negocia quàm vllus vnquam Regum sustineret, & honestiß. & laudatiß. acta vita omnibus exemplum de se præberet. Cuius rei (vt alia magna & innumerabilia præclara facta huius optimi ciuis prætermittam) adhuc hodie locupletißimi, & indubitati testes sunt, tot sumptuosa, & maximo ingenio atque artificio a se extructa ædificia, tot splendida palatia, tot religiosißima fana, quæ adhuc hodie om

nibus ad uisendum patent, quæ proprijs sumptibus fieri curauit, & beneficijs deinde ornauit. Quid quòd remotissimis etiam in locis, liberalitatis suæ specimina reliquit? Quantum pecuniæ exposuerit Hierosolymis vrbe una ex omnibus sanctissima, in ædificanda domo, in qua pauperes, fame atque rerum omnium inopia cõfecti collocarentur, quis tàm imprudens est, qui nesciat? quo opere quid sanctius excogitari potuerit, non uideo. Quis unquam fines imperij sui ita amplificauit? quis toties perditorum hominum furorem fregit? quis toties Rempublicam ruinas minantem, industria sua erexit, rebusqúe publicis afflictis opem tulit? quis toties ab exilio, quod uirtute susceperat, & inuidia malorum sustinuerat, reuocatus? toties decreto publico ciuium pater patriæ salutatus? quis toties flammam furoris ciuilis extinxit? Fuit hic uir eloquẽtia clarissimus, ad prudentiã a natura factus, qua fretus, libenter amicis, quacunque in re potuit, libentissimè suam operã præstitit, liberalitate in pauperes immortale nomen sibi peperit, in conuersationibus vtilis, in consultando cautus, in exequendo promptus, sermone grauis & argutus extitit. Sed quod meritò nõ postremũ in laudibus suis posuerim, homines doctrina claros, & literarum cognitione insignes laudibus nõ tantum extulit, sed & præmijs affecit, Argyropolum, natione Græcum, è remotissimis terris accersitum, Florentiam magna spe præmij proposita, perduxit, quo iuuentus florẽtissima, hoc duce, Græcis literis erudiretur, & ad honestatem informaretur. Marsilium Ficinum quem hodie Florentia iactat, diuini Platonis interpretem maximum domi suæ nón aluit tantum, amoreq; incredibili cõplexus, sed & muneribus honorificentissimis prosecutus est. Mortuus est Cosmus, omnibus regijs ornamentis & virtutibus plenissimus, laudum suarum cursu completo, & in sacra diui Laurentij æde,

a se

a se extructa, splendido apparatu sepultus est, comitante tota ciuium lectissimorum multitudine, & maxima vulgi frequentia, a quibus deinde publico decreto titulo patris ornatus fuit. Luxerunt obitum, indignissiméque tulerunt non ciues tantum, quibus toties amissam libertatem recuperauerat, sed & exteri, et in vniuersum omnes Christiani principes, facilè quantum illi viuo tribuissent, quantáque beneficiorum memoria illi obstricti essent, lachrymis & gemitu declararunt. Reliquit duos filios, Petrum, & Ioannem, quorum hic quia subitò extinctus fuit, nulla virtutis suæ argumenta posteris relinquere, aut nomen immortalitati cõmendare, ille quòd valetudine minus prospera, & tenui corpusculo semper fuit, & viuente adhuc patre imperium administrauit sẽper, & ferè maximam ætatis suæ partem in belli ciuilis tumultibus, & dissensionibus publicis, et valetudine aduersa consumpsit, patriæ ob res præclarè gestas tantùm innotescere non potuit. Quid de Laurẽtio Medicæo dicam, quem vnum nõ modò nostra tempestate, sed multorum seculorum memoria, historiæ celebrãt, quem verè phænicem inter omnes vniuersæ Europæ principes licet appellare, cuius mortem tanta malorum ἰλιὰς, tot Italiæ calamitates, & intestina bella exceperunt? cuius tanta apud omnes Principes, totius orbis terrarum autoritas fuit, vt quemadmodum ille dum vixit, vniuersam Italiam in tranquillissima pace cõseruauit, & libertate dotauit, ita eo mortuo, omnia conciderint, eáque in mille calamitatum genera depulsa fuerit. Hic est ille qui Rempublicam Florentinam ceu patrimonium à sapientissimo patre relictam sibi tanta vigilantia, tanta industria defendit, conseruauit, qui toties fluctuantem fortunam, & atrocissima quæque minitantem non superauit tantum eximia animi virtute, sed & propè extinctam rempublicam, perditorumqúe insidijs oppres

ſam, ab interitu liberauit, ſeruitutisque iugum aliquoties a ciuium chariſſimorum ceruicibus depulit. Cum vero a bellis, quæ multa præclariſſime ab illo pro incolumitate Reipublicæ geſta ſunt, quieſceret, ne ocio torpeſcere, aut ciuium commoda negligere, aut parui facere, vel oſcitāter tractare videretur: leges quæ ad publicam tranquillitatem ſpectabant, condidit, & ne quid Reſpublica detrimenti caperet, totis viribus eleborauit, minimè neſciens vir ille & maximis & diuinis ornamentis præditus, ſe publicam vtilitatem ſuæ voluntati anteponere, patrisque affectum erga ſubditos, ſuæque fidei & tutelæ commiſſos ciues habere debere. Hoc vno vel iuſtius, vel temperātius, vel omnibus numeris abſolutius, nihil vnquā ætas noſtra tulit, aut feret vnquā. Liberalitatem ſine ſpe præmiorum largiter exercuit, vir ille acutiſſimi in dignoſcēdis hominibus iudicij, nec quenquā ſua laude fraudari paſſus eſt. Virtuti præmia & ampla, & honorifica propoſuit, neminem vacuum a ſe abire paſſus eſt, qui aut conſilio rem Florentinam iuuiſſet, aut ſuarum virtutum experimenta dediſſet. Quantum verò bonis literis tribueret, ſine quarum cognitione nec tueri prudētiam, nec gubernare Rempublicam Principes poſſunt, vnus omnium optimè nouit, frequens in literis & ſermonibus eruditorū, Angelus Politianus, decus omnium bonarum artium, cuius amore tantùm flagrabat ob inſignem hominis in omni artium genere ſcientiam, & varietatem multiplicem, vt eum ſocium ſtudiorum adiungere ſibi, eiusque conſuetudine domeſtica doctior euadere voluerit. Neque profectò hunc præſtantiſſimum virum ſua feſellit opinio. Tantum enim iam ex literis didicerat, vt cōtra omnes fortunæ inſultus, & procellas ſubſidium ſibi parauerit. Omnino tanto amore proſequebatur eum, vt moriens etiam vix ab illo poſ-

ſet

ſet diuelli, putaretque nequaquã iuſtum eſſe, vt ab eo, quem totum in oculis geſtauerat, cuius admirabilem ingenij vim & animi dexteritatem in rebus dubijs toties admiratus, & præmijs etiam remuneratus fuerat, ſepararetur. Taceo Picum Mirandulæ Comitem, ſcientiæ militaris & doctrinæ laudibus præſtantiſſimum, qui propria patria relicta, celebritate & virtutũ fama huius præclariſſimi Laurentij permotus, Florentiam vſque ſe contulit, & ad vltimum vſque vitæ terminum coniunctiſſimè cum illo vixit, ſplendorem bonis literis reſtituit, & ingenia multorum ſuo exemplo ad laudem, & rerum præclariſſimarum imitationem incitauit. Huius ſanctiſſimi Ducis manibus debemus, quod Græcæ literæ in Italia, & præclara doctrinarum ſtudia hodie plus, quàm in vlla alia huius vniuerſitatis parte florent. Beneficentia tantam laudem apud omnes ſibi peperit, tantamq; famã conſecutus eſt, vt non tantum apud ſuos, ſed & apud Barbaras gentes, a religione noſtra diuerſas, in honore & ſummo precio haberetur. Quod teſtantur cùm alia multa, tum precioſiſſima illa munera, quibus eum Suldanus Turcarum Imperator, virtutum ſuarum celebritate inductus, eum non ſemel, ſed iterum atq; iterum affecit. Supereſt Bibliotheca, quam ex omni genere librorum inſtruxit, quæ immortalem illi laudem peperit, in qua amplificanda, nulli nec labori, nec ſumptui pepercit. O vtinam multos eiuſmodi haberent Principes hæc noſtra tempora, non exularent hodie ita bonæ literæ, neque in tanta exiſtimatione barbaries, sed Reipublicæ literariæ optimè conſultum eſſet. Audiui vocem illam præclaram ex Laurentij ore prodiiſſe, optare ſe tanta ſibi a Nicolao Leoniceno, viro in omni literarum genere clariſſimo, ac Ioanne Pico ad libros emendos præſtari incitamenta, vt tandem deficientibus ſumptibus, totam ſuppellectilem oppignerare cogere-

tur. ò admirandam Ducis ſapientiſsimi in re literaria iuuanda, & doctrinæ studijs promouendis voluntatem. Sed quò progredi-or? finem dicendi vix vllum facio, dum de huius optimi principis ſapientiſsimis conſilijs, & præclaris institutis cogito. Eius virtu tes tantæ ſunt, vt eas nullius vel mens, vel cogitatio capere poßit. Sed vt Laurentium taceam, quid Ioanne eius filio, perfectius, aut quid numeris omnibus abſolutius fuit? is cum iam inde a pueri-tia ſua aliquot virtutis ſuæ experimenta dediſſet, incredibilique rerum præclariſsimarum studio flagraret, egregieque maiorum ſuorum veſtigijs inſisteret, & expectationem de ſe conceptam nō adæquaret tantum, ſed longiſsimo etiam interuallo ſuperaret, In nocentij octaui, ſummi Pontificis diuina ſapientia, eiuſque auto-ritate & ſuffragijs in collegium ſummorum patrum, & Eccleſiæ procerum cooptatus fuit. Nouerat quippe optimè, acerrimus in geniorum æstimator, Innocentius Pontifex, quantus in puero pu dor fuiſſet, quā excellens omnium artium honeſtarum cupiditas, quanta in adoleſcente probitas, & perfecta penè ratio, & matu-ra prudentia, minimè ſperata in illa ætate, & expetendarum vi tandarumq; rerum incredibilis ſcientia, atque dexteritas. Qua propter ab ineūte ætate mirificè dilexit eum, cumque illi occaſio nem tantum, non voluntatem ad res præclarè gerendas, & fami liæ nomen illustrandum deeſſe videret, ampliſsimum illi campum patefecit, in quo virtus ſua excurrere liberè, & domeſtica laus exercere ſe poſſet. In qua dignitate laudabiliter ſemper vixit, omnesque curas, cogitationes & ſtudia ſua in Reipublicæ Chri-stianæ dignitate tuenda, & eius incolumitate conſeruanda po-ſuit, atque locauit. Quo mirandum eſt minus, eum cum vix ex ephebis exceßiſſet, et vix decimum tertium ætatis annum comple uiſſet, hac tàm eximia dignitate ornatum fuiſſe. coluit omnes vir

tutes

tutes & philosopho, & homine Christiano dignas, sed liberalitatem præter cæteras diligentissimè exercuit. Qua propter hic præstans omni virtute Cardinalis, vnus omnium maximè ad omnia summa factus, cuius vita perfectissima semper, heroica & planè diuina fuit, cum tot & tantis ornatus esset fortunæ & naturæ dotibus, sub extremum vitæ spacium, ad eum gradum, qui in terris summus est, & augustissimus, Deo, hominibusqúe id sũmè cupientibus, ascendit, & Leonis Decimi, Pontificis summi titulo decoratus est. Ac cum esset acerrimo ingenio, & grauissimo iudicio Princeps, simul ac creatus est Pontifex Max. quo honore Ludouicus Gallorum Rex sapientissimus eum adhuc puerum quasi, & in cunis vagientem, dignissimum arbitratus est, statim patrocinium bonarum literarum suscepit, eosqúe qui bonis artibus delectantur amore prosequi, muneribus ornare, beneficijs augere non destitit. Virtus principe digna, & quæ omni seculorum memoria celebretur. Cuius rei fidem facit amplissimam, quod altissimo honoris gradu ornatus, statim nulla interposita mora, Iacobum Sadoletum, & Petrum Bembum, quorũ vterque eo tempore eloquentiæ & virtutis gloria florebat, ex omni doctorum hominum copia delegit, quorum in conscribendis epistolis opera & ingenio vteretur. quod apud Romanos Pontifices munus longè honestissimum est. In cuius egregij Pontificis laudibus industriam, vigiliasque suas omnes, ponere literati homines certatim deberent. Nunquã sese sui dissimilem præbuit, sed quantum antea contenderat, vt in studio virtutis omnes anteiret, tantum vt se ipse in omni laude vinceret, in Pontificatu deinde, & studuit, & consecutus est, mirificéque laudatissimæ familiæ splẽdorem ad auxit. Quo factum fuit vt omnium oculi in illum conijcerentur, ipseqúe omnium ordinum beneuolentiam mirabiliter

conciliaret sibi, & ciuium animos nouis subinde beneficiorum generibus, & pollicitationibus deuinciret, adq; suam voluntatem perduceret. facile nec mehercle crediderim, vnquam in cuiusquã Pontificis electione animos hominum lætiores, aut prædicationes magis honorificas fuisse, aut crebriores de vllo Pontifice Romano laudes extitisse. Accepto hoc lætissimo nuncio, qua lætitia perfruebantur? quibus gaudijs exultabant? quanta voluptate afficiebantur omnes? Quem quæso vnquam prospera fortuna tàm maturè ad summum imperium, & rerum gubernacula per omnes honorum gradus extulit? quis vnquam generis antiquitate, patris clarissimi memoria, & aui sui, atque maiorum natu præclarè factis, & virtute sua comparatis monimentis, extitit illustrior, aut omnium seculorum laudibus celebratu dignior? Quid de Clemente Septimo Pont. opt. Max. propinquitatibus, amicitijs, opibus florentissimo, cuius ad animi bona comparanda mens omnis & cogitatio dirigebatur, dicam? hic cum fortuna virtutem ita coniunxit, vt in vtraq; pariter emineret, suisque præstantissimis actionibus tantum effecit, vt virtutem & ipse singulari studio coleret, & in alijs amplissimis præmijs ornaret, omnesq; liberales disciplinas exulãtes exciperet, complecteretur, foueret, solidamque gloriam spectaret tantum. Inter tot autem præclarè res ab ipso gestas, quæ & multæ & innumerabiles fuerunt, quid gloriosius ad omnem posteritatem, aut laudes tantæ familiæ amplificandas fuit, quam quod sua autoritate Catharina de Medicis, fœmina lectissima, pudicitiæ & castitatis laudibus clarissima, Henrico Gallorum Regi, viro omnium qui sunt, fuerũt, erunt, virtute, sapientia, potẽtia ac gloria facilè principi nupsit, generisque nobilitati egregium ornamentum addidit, æternumq; nominis decus parauit sibi. Quod si nomina tantum, non autem

res ge-

res gestas, & egregiè facta, tot præclarißimorum huius nobilissimæ, & ad totius orbis terrarum decus & ornamentum natæ familiæ heroum commemorare, aut oratione pro dignitate prosequi vellem, in immensum cresceret oratio, neq; vnquam dicēdi finis foret. deinde quis nescit, quanta animi altitudine, quanto ingenio & prudentia fuerit, Iulianus Dux, quem tota ciuium multitudo propter suauißimos mores, & humanitatem singularem mirificè dilexit? Quid de Hippolito eius filio dicam, cuius virtutis cursus, quam ætatis fuit celerior? in quo statim ab ineunte pueritia, ea perspiciebantur indicia ingenij, humanitatis, modestiæ, cæterarumq; virtutum omnium, vt iam tum facile appareret, qualis vir postea futurus eßet. Quapropter Pont. Max. patruo suo, egregie charus fuit, opinionemqúe de se conceptam exitu deinde & re ipsa comprobauit. Nam cum virtutis amore mirificè esset incensus, statim hominum doctorum consuetudine, & familiaritate vsus est, eorumqúe admonitionibus tantum perfecit, vt deinde ab omnibus omni honore, & amplitudine dignißimus fuerit iudicatus, & à patruo viro omni virtute & integritate præstanti, aspectuquè & facie ipsa venerando, ob incredibiles animi & ingenij dotes in collegium summorum patrum fuerit cooptatus. In qua vitæ conditione, quanta cura, quanta vigilantia, & fide Ecclesiæ vtilitati consuluerit, Petriqúe nauem diuersis opinionum procellis fluctuantem defenderit, nemini ignotum esse arbitror. Liberalitatem & beneficentiam ita coluit, vt neque hac in parte ulli æqualium suorum cesserit. Quanta pietatis officia vsurpauerit, quantamque liberalitatis & magnanimitatis laudem apud posteros consecutus fuerit, in sublenādis rei familiaris angustijs, & extrema neceßitate præceptoris sui, viri optimi & hominis prudentißimi, qui illi ab ineunte ætate

te egregiè deseruiuerat, eiusque teneriores annos aluerat, ad virtutemque instituerat, quis est qui ignoret? huic non tantum ope & liberalitate sua auxilium tulit, largóque congiario illum prosecutus est, vt nubiles filias, quibus dotem aliter conficere nō poterat, honestè atque ex suæ familiæ dignitate nuptum daret, sed & industriam & integritatem illius muneribus honestauit, itaque famam & gloriam, homo ad quamlibet maxima beneficia promerenda aptus, comparauit sibi. Sed viuit adhuc recēs, & ipsa posteritate crescit Alexandri, sapientißimi & fortißimi Ducis, maiorumque suorum vestigijs clarißimi, memoria. Quanto animo iam inde a teneris annis ad nominis immortalitatem contendit? quot periculis sese obiecit? quem laborem vnquam pro Reipublicæ laudatißimæ dignitate tuenda, & salute quam in suis virtutibus constitutam esse putabat, defendenda, recusauit? Cuius præstantißimarum laudum fama, Carolus Quintus, summus ille post hominum memoriam, & prudentißimus, fortißimusque Imperator, impulsus, studióque virtutum suarum incensus, Margaritam filiam uirginem lectißimam, omniq; virtutum genere cumulatißimã, in vxorem dedit. Quod matrimoniũ cum illi diuinitus esset delatũ, nulli deinde labori pepercit, vt Imperij sui fines propagaret, æternamqúe sibi laudem, uir optimus atque fortißimus, compararet. Atque vti nam deinde eã mors, quæ digna tanto viro erat, præclarißimas suas virtutes excepisset. Quod enim a domestico serpente (quo populus Florentinus nihil vidit indignius) crudelißimè fuerit interemptus, ab eoque tam nefarie fuerit occisus, quem tot muneribus honestauerat, tot beneficijs cumulauerat, qui vnus gubernabat omnia, plenus sceleris & audaciæ, quis tàm agresti, & tàm duro est animo, quin indignißimè ferat, animoque commoueatur plurimum hoc

hoc tanto, tam atroci, tàm scelesto & nefario facinore? Sed dedit portentum illud, homoque vnus omnium audacissimus, hac luce indignus, scelerum suorum atroces pænas, eiectus domo, atque expulsus ex suis bonis, vitaque per summum dedecus amissa. Et quis est qui huius præstantissimi Principis facta non dicam complecti orando, sed percensere numerando queat? Sat est, hunc praclarissimum Cardinalem habuisse patrem COSMVM *Medicem, virtute, gloria, rebus gestis, omnium gentium, omnium ætatum, omnis memoriæ facilè principem, parentemq́ꝫ, ac custodem vitæ vestræ, nominis, fortunæ, qui pro vestra salute, pro vestra dignitate, pro pace ciuitatis, nullas sibi insidias, nullam vim, nulla odia, nullum vitæ periculum timendum vnquam putauit. Et quæ tanta potest existere vbertas ingenij, quæ tanta dicendi copia, quod tàm incredibile atque diuinum orationis genus, quo huius clarissimi Ducis, & florentissimi Thusciæ regni Imperatoris, merita in Rempublicam, quisquam possit vel verbis exprimere, vel pro dignitate celebrare satis? Quid hoc vno vrbis vnius omnium pulcherrimæ, atq; ornatissimæ Principe in omni rerum genere absolutius? quod virtutum omnium exemplum illustrius? cuius nescias, rebus secundis ne & ad voluntatem fluentibus temperantia, an in aduersis tolerandis, & animi altitudine in tanta fortunæ varietate superandis constantia maior sit. Quis vnquam Regum, aut Imperatorum, hunc sapientissimum Ducem, prudentia superauit? ingenij præstantia, & in rebus gerendis iudicij acrimonia, & firma animi voluntate vicit? Iactat Græcia Herculem, heroem præstantissimum, qui tot monstra confecit, tot labores & difficultates superauit, tot pericula vt sibi immortale decus sua industria pareret, adiuit, & tandem ad inferos etiam penetrasse dici*

tur. Laudatur doctißimorum hominum consensu, & Poetæ sapientißimi encomijs in cælum vsque tollitur, viri sapientis, & in bello, rerumqúe administratione exercitati simulachrum Vlisses, qui toties fortunæ fluctus & tempestates sua prudētia rexit, toties impetū illius fregit, suaque virtute sedauit, atq; cōpreßit. Quorum omnium laudibus Cosmus, quo vno hæc vrbs nihil vnquam vidit illustrius, tenebras non tantum offudit, sed penitus ferè obscurauit, & è memoria hominum deleuit. Quo quid, quæso, magnificentius, quid ad omnium ætatum propagationem gloriosius? quid hoc Principe post hominum memoriam fortunatius? quem tanta prosperitas consecuta est, ut nihil nō fortuna ei tribuat, quem virtus, & honestarum rerum studia ad amplißimum dignitatis gradum, nihil tale expectantem perduxerunt, & in altißimo honore constituerunt, ad quem diuinitus imperium huius florentißimæ vrbis, toties malorum inuidia afflictum, & perditorum improba voluntate extinctum ferè penitus, fuit delatum, vt haberet campum, in quo virtus sua excurrere, singularisq; ingenij dexteritas elucere posset. Quod si laudem meretur aliquā, vt profectò meretur maximā, non literarū cognitione tantū, quibus ad omnē humanitatē informamur, sed et rei militaris scientia instructißimū esse, vnus ex omnibus vniuersæ Europæ principibus hāc sibi poterit vendicare laudem Cosmus Thuscorū princeps Illustrißimus, idemq; sapientißimus. Quid dicā de beneficijs, quib. ab ipso Respublica vestra est ornata maximis? quid de periculis, quæ subire non dubitauit, vt ea salua esse posset? quid de maxima pecuniarum copia, quam vltrò citroq;, modò vt Reipublicæ dignitatem tueretur, eiusq; incolumitati quantum fieri posset, consuleret, sine vlla remunerādi spe exposuit? hic vnus cæteris omnibus plus præstitit, huic vni plus debetis, quam alij ne-

alij nemini. hic vnus perditorum hominum, quiqúe Reipublicæ laudatißimæ perniciem moliebantur conatus compreßit, flãmam ciuilis belli sua vigilantia extinxit sæpè, inuidiam malorũ eximia animi virtute superauit, vrbemq; præclarissimam aliquoties ab interitu liberauit, sceleratissimorum consiliorum fontes aperuit, eosq; qui Reipub. perturbandæ cupiditate ardebant, timore ab impugnanda patria deterruit, & in posterum documentum statuit, ne quis talem amentiam vellet imitari. Quo factum fuit, vt cum hactenus ciuium vtilitatem, oblitus commodorum suorum, ratione habita singulorum, ita defenderit, vt hodie Respublica Florentina ocio & tranquillißima pace nulli aliarum cedat? talis vir hic, ita de populo Florẽtino meritus est, & adhuc hodie meretur, vt non vni ciuitati tantum, sed uniuersæ Italiæ charus & commendatus esse debeat. hanc, quam hodie incolitis urbem, unus ille sua industria, claram, amplam, illustremq; reddidit. Et *cum minimè ignoraret, hanc gloriæ hæreditatẽ, et factorũ imitationẽ illustriũ ad se pertinere, multa uirtute sua sibi peperit, quæ nullo modo potest amittere. quæ .n. fortuna, aut quis casus, aut quæ temporũ iniuria poßit rerũ tam præclarè ab ipso gestarũ memoriã delere? Quid dicã de maguitudine animi, grauitate, constantia, liberalitate, iustitia, & cæteris quibus ornatus est innumeris virtutibus? Quis nescit huius salutem in multorum, & totius ciuitatis potius, inclusam esse? Quis in iustitia colenda religiosior? quis in legibus condendis, & præclaris institutis ciuitate ornanda, prudentia superior? quis in ciuium salute tuenda, & patriæ incolumitate conseruanda vigilantior? quis in sceleribus puniendis atrocior? quis in bonis protegendis, & muneribus ornandis ad liberalitatem propensior?* Ad *cuius virtutes enumerandas opus est non solum ingenio, sed arti*

ficio quodam singulari. nõne cum quolibet antiquorum compara ri meritò potest? Quod si omnes dicendo complecti vellem, dies potius; quam verba, me deficeret. huius enim fama longinquas regiones peruagata, barbaras etiam gentes, & religione diuersas illi conciliauit, multosque aliqua modò virtute, nobiliue arte insignes, in vrbem Florentiam perduxit. Sed omnino datũ hoc diuinitus huic familiæ amplissimæ, & splendidissimæ videtur, vt memoria illius, rerumque præclare gestarum fama, & virtutis incredibile studium, atq; diuina in omnes homines beneuolentia, & in Deum pietas & obseruantia in omne tempus, omnesq; gentes disseminetur. Quæ est ora, quæ sedes, qui locus, in quo nõ extent huius cùm integritatis, tum verò humanitatis, liberalitatis, iustitiæ & temperantiæ, innumera, eaque haud vulgaria monimenta? Quis vnquam tantam animi celsitudinem, cum tantis opibus coniunxit? Quis ignorat, hunc egregiũ Ducem, hac tempestate vnum, aut certè cum paucissimis, opũ et diuitiarum instrumẽto, quæ illi pro stirpe, pro honoris gradu, pro familiæ splẽdore sunt amplissimæ, non ad explẽda auaritiæ studia, sed ad effundendam bonitatem suam in plurimorum cõmoda & emolumenta, adq; liberalitatem exercendam & bonas literas quæ cum hac illustri familia renascuntur subinde, promouendas, vti? Testis est, celeberrimum toto orbe terrarum Pisanum gymnasium, tantis beneficijs ab illo auctum, totque viris doctis vsu rerum & scientiæ laudibus clarissimis refertum, & tantus vndequaq; ad id, ceu ad nouas Athenas confluxus, cuius facti memoriam nulla vnquam dies, aut temporis diuturnitas delere poterit. Matrem habuit, Eleonoram filiam Proregis Neapolitani, non minus illustrem ac claram matronam, prudentia in reb. agendis, pietate in Deum, & misericordia

in pauperes, castitatis & pudicitiæ laudibus clarissimam, cuius præstantissimæ actiones celebrabuntur non solùm nostris, sed penè omnium gentium literis atq; linguis, neque vlla vnquam ætas, de illis conticescet. Quod cum minime ignoraret adolescens ad omnia summa natus, commemorabiliquė pietate ac virtute præditus, cognosceretque se ab his progenitum esse, qui pari virtute, pietate ac continentia haberent neminẽ æqualẽ, nihil in vita expetendum putauit, nisi quod esset cum laude, & dignitate coniunctum. hoc robore animi, atque hac indole virtutis, ac continentiæ fuit, vt respueret omnes voluptates, omnemquė vitæ suæ cursum, in diuino cultu, atque in animi expolitione conficeret. Et quamuis adolescentia multas sæpè lubricas vias ostendat, naturaq́; ipsa multa blandimenta nobis ingenuerit, quibus nõ modò hæc ætas infirma, sed etiã iã corroborata capitur: ab his tamen illecebris tantũ sẽper abhorruit, vt nullum vnquam petulans dictũ in vita protulerit, ipseq́; alijs hominibus virtutis et prudentiæ documentum fuerit. Quid multa? cùm magnitudine animi, tũ cæteris rebus laude dignis, vitam patris & consuetudinem expressit, familiæque suæ laudes cupidissimè persecutus est. Omnino vigor ille oculorum suus, firmusque corporis habitus, plenaq; dignitatis, plena maiestatis facies, ac totius corporis viuida quædam vis, & solidum robur, magna quædam, rara & ardua pollicebantur nobis. Ac egregia quidem iam, & maiora omnino, quam ab illa ætate postulandum fuit, virtutum suarum specimina exhibuerat, plura omnino facturus, laude digna, & memoria, nisi importuna mors hanc lætitiæ causam inuidisset nobis. Nihil ferè erat, quod vel a natura, vel a virtute, vel a fortuna sit expectandum, quod cumulatissimè consecutus non esset. Nihil erat apud illum fuga voluptatum, aut continentia, quas virtutes

nullus ante illum magis commendauit. Magna laus profectò, et grata hominibus, vnum hominem tot virtutum rarißimarum ornamentis abundare, in eoq; tantum elaborare, vt & Deo, & hominibus meritò probari poßit. Ingenium ita excoluit, vt iam in multorum ore & sermonibus esse inciperet ob incredibile discendi desiderium, quo ita inflammatus erat, vt nusquam a latere doctißimorum virorum discederet. Et vt fuit moribus honestißimis præditus, ita cœlestis numinis fuit obseruantißimus, nihilq; cogitauit vnquam, aut fecit, quod pietati ac naturæ legibus non esset consonũ. Quibus rebus factum est, ut Pius Quartus, Pontifex optimus Max. adolescentis naturali bonitate, et humanitate captus, eum Romam, domicilium orbis terrarum imperij vsq; ad se euocauerit, eiusque intima familiaritate vsus fuerit, eaq; illi tribuerit, ut plura a parente proficisci non potuerint. Qua in vrbe ita vixit castißimus adolescens, vt continentiæ laudem consecutus fuerit, nec vllum ibi vel auaritiæ, vel luxuriæ vestigium reliquerit, & vniuersæ ciuitati vnus ante aliòs charißimus fuerit. Quis hoc adolescente castior? quis modestior? quod in iuuentute habuimus illustrius exemplum veteris sanctitatis? hunc omnes propter suauißimos atque optimos mores, præstantißimumq; ingenium certatim amabant, omnibusq; horis, in ore, oculis & complexu tenebant. Neque verò postremum inter laudes suas posuerim, quòd literas & ingenia tàm impensè dilexit, quod bonas artes non fouit modò, sed aluit etiam atque promouit. Quis ignorat, eum si diutius hac vsura lucis frui licuisset, etiam vitam ipsam & sanguinem, vbi opus fuisset pro incolumitate & dignitate Ecclesiæ, quam tanquam charißimam & sanctißimã matrem obseruabat, profusurum fuisse. Nullus vnquam patri filius obsequentior fuit, nihil vile, nihil sordidum cogitauit,

ardua-

arduarum rerum studio semper incubuit, nihil profudit, nihil vllam in libidinem contulit, sua bonitate potius multos locupletauit, & in rerum vtilium inuestigatione omne ætatis suæ tempus consumpsit. O magnum atque intolerandum dolorem, ò grauem acerbamque fortunam, ò luctuosum indulgentissimo patri spectaculum, eum nobis eripi, in quo tot virtutum elucebant ornamenta, qui tantorum spem fouebat vnus. Quis non ingemiscat? quis non doleat optimi Principis casum? Quis tám durus, aut ferreus esse potest, quis tantum ab omni humanitate alienus, qui hac nobilissimi iuuenis morte nō cōmoueatur? quis animo tàm agresti, vt à lachrymis temperare sibi possit? Vincit linguæ officium doloris acerbitas; florentissima vrbium dolore penè conficitur, dolent ij quorum consuetudine familiariter vsus est, lugent omnes, quibus de facie saltem cognitus fuit. Tanta virtutum omnium in hoc vno elucebat summa perfectio. Nemo est ex omnibus incolis, quin hunc optimè de vrbe amplissima, de literis, de egentibus, opemque suam & misericordiam implorantibus meritum esse arbitretur. Et quia non paruam exorientis gloriæ & uirtutis significationem dabat, dignusque iudicabatur, qui constituendæ rei Christianæ, operam suam nauaret, hancque animorum dissensionem componeret, horribilesque dissidentium opinionum procellas quæ iactare multis ab hinc annis Petri nauem ceperunt, neque dum consistere patiuntur, suà vigilantia sedaret, locumque nancisceretur, in quo latius ingenium, & virtus se diffunderet, optimi Pont. Pij IIII. sapientissimo iudicio in collegium summorum patrū, & Ecclesiæ procerum cooptatus fuit (quam dignitatem nisi vigilantes homines, nisi casti, nisi industrij consequi nō possunt) admirabili omnium acclamatione atq; consensu. Quam dignitatem ita tuebatur, augebat & amplifi-

cabat, vt cum paucissimis excelleret, omnisque officij diligentissimus esset, & sedulitate pro grege Christi excubias agendo nulli æqualium suorum cederet. Posteaquam uerò expectatissimum, atque optatissimum de dignitatis accessione nuncium Florentiã peruenit, eumque mirifico omnium cõsensu, in purpuratorum patrum numerum Pij IIII. sapientissimi Pont. diuina autoritate accedente ascitum esse: tota vrbs incredibili statim lætitia perfusa, cum Deo opt. Max. primùm gratias pro tanto beneficio egisset, qui tali quidem tempore eum Cardinalem benignitate sua quasi de cælo demisisset, quo neque meliorem, neque sanctiorem, aut Reipublicæ Christianæ rationibus accommodatiorem optare potuisset, faustis acclamationibus perpetuam ei rerum felicitatem precata est, & post dignitatem benè administratam perpetuam senectutem, omnesque industriæ suæ, vitæque partes illi dicauit atque consecrauit. Hunc honorem adeptus est, reclamante nemine, & consentiente Pio IIII. multis primum, magnisque in rebus ab eo probatus, quo Pontifice ? omnium sapientissimo & optimo, qui & ipse Deo probatus est, & non probat nisi sui similes. Et quamuis in altissimo honoris gradu, & amplissima dignitatis sede constitutus esset, nunquam tamen dissimilis sui fuit, vel auaritia, qua nullum est tetrius vitium, aut opum inexplebili cupiditate flagrauit, voluptates semper tanquam pestem detestatus est, nusquam ambitione inflabatur, aut amore potẽtiæ, uel principatus cupiditate flagrabat, vel studium suum ad honores acquirendos conferebat, sed omni potentia & honore contempto, humilis viuebat, atque ita humilis, vt omnibus ad illum aditus pateret, isque beneuolentiam totius vrbis mirificè conciliaret sibi, ita vt multi pro ipsius salute vota quoque suscipere minimè dubitarent. Quàm charus fuerit omnibus, facilè etiam

me ta-

me tacente, tot hominum fletus & suspiria, lachrymæque declarant. Cum enim huius temperatissimi & lectissimi iuuenis mors Florentiæ nunciata esset, quem conuentum totius ciuitatis factũ esse arbitramini, quem fletum virorum, mulierumque omnium? breui tempore ad fanum D. Laurentio sacrum è tota vrbe concurritur, neque vllus vel ætate tàm affecta, neque viribus tàm infirmis fuit, qui nõ statim, hoc acerbo casu penitus obstupefactus, ad templi portas se contulerit. hic verò tãto dolore afficior, lachrymisque ita debilitor, vt voce quasi inclusa, vix dicendo vlterius progredi queam. O misera vitæ ratio, quæ tamdiu resides in voluptate, quam diu poscit fortunæ libido. Quanta beneuolentia vniuersus populus illum prosequeretur, facilè gemitu et lachrymis quas copiosissimè profudit, comprobauit. Statim maximus totius vrbis ad funus fit concursus, vestem singuli mutarunt ordines, cælum ipsum mærorem præ se tulit, præclarissimorum ciuiũ lachrymæ mæstitiæ testes locupletissimi extitere. O diem illum funestum & calamitosum non religioni tantum, quæ tantam in hoc rarissimo virtutum omnium simulachro iacturam passa est, sed bonis omnibus, patri optimo luctuosum, egẽtibus grauem. nullus fuit qui hoc publico incommodo non commoueretur. Erat in luctu Senatus, squalebat totus aulicorum cætus, fortunæque inconstantiam accusabant, calamitatesque suas eo amisso, a quò pendebant vno, lugubri voce deplorabant. nullum erat totius Thusciæ oppidum, nulla colonia, nulla præfectura, quæ non statim vestitu mutato, dolorem suum publicè testaretur. Quãta fuerit in hunc omnium propensio, lachrymæ multorum, incredibilisque mæror, squalor & mæstitia, quam vidimus, luctusque declarant. Quis est tàm barbarus, aut tàm ab omni humanitatis genere alienus, cui hæ lugentium in terram fluentes vestes la

chrymas non excutiant? Quis vnquam tàm magnificè sepultus, aut ita a populo suo defletus, aut publico luctu mortuus honoratus fuit? Quantum verò Isabellæ sorori, matronæ illustrissimæ, pudicitiaque, & omni virtutum genere clarissimæ, charissimi fratris, diuini planè iuuenis, optimi atque sanctissimi mors, mæroris attulerit, vel ex eo perspicere licet, quod morte illius nunciata, statim præ mæstitia obmutuit, & viribus deficientibus in terram collapsa, doloris impatiens, & tàm acerbi casus nouitate percussa, ægrè ad se tandem rediit, & adeò huic calamitati succubuit, vt non prius flere ac lamentari suam & suorum vicem desineret, quàm lachrymæ eam deficerent, iacebat tota et corpore & animo, parumque aberat, quin animam prorsus exhalaret; tanto quippe amore semper in illum extiterat, vt negaret fas esse non modò domicilio, sed ne sepulchro quidem se ab illo esse seiunctam. Nec mehercle credo lectissimam fœminam, vllum vnquam in vita tẽpus acerbius expertam fuisse, aut maius in animo vulnus accepisse. Cui enim vestrum ignotum est, quam arctè inter se singulariterque amauerint, quam coniunctissimè vnà vixerint? Equidem cum de hoc tristi spectaculo cogito, prorsus omnis iucunditas mihi eripitur, doloreque illius maximopere doleo. Maritus autem eius, Paulus Iordanus Vrsinus, vir excellenti animo & virtute, maiorum suorum & rerum gestarum memoria clarissimus, & belli gerendi scientia & animi fortitudine præstantissimus, cuius laudes etiam disiunctissimas terras peragrarunt, nihil hoc tàm acerbo vulnere debilitatus, aut animo fractus, vel precibus vxoris dehortantis victus, quamuis graui valetudine affectus, vix corporis viribus animum sequeretur, virtute tamen naturæ incõmodum uicit, & affinis optimi, in quem tàm præstanti beneuolentia & diuino semper studio extiterat, funus

ipse

ipse sua suorumque necessariorum præsentia honestare, supremumq́; officium illi præstare voluit, exequiasq́; ipse vnà cum honoratioribus ac præfectis deduxit, planctu & lachrymis satis indicans, vel beneuolētiam erga viuum, vel mærorem ob defunctum, quod q́; in vita nullum vnquàm acerbiorem dolorem hauserit. Quo factum fuit, vt magnificè eo sepulto, solennibusq́; funeralibus factis, ipse primus stans super monumentum eum deplorauerit, hocq́; tam pio munere non mediocrem sibi gratiam apud multitudinem vir in rebus bellicis tàm consilio quàm manu præstantissimus conciliauerit. O spes fallaces? o inanes cogitationes nostras? itáne inuiti ab eo diuellimur, cum quo omnia nobis sunt sublata? itá ne crudelis fortuna felicitati nostræ inuides, vt semper aliquid sinistri, aliquid mali aspergas? Sed quid agamus? hæc est rerum humanarum conditio. Cuius autem vita vnquàm aut fuit, aut esse potest, tàm felix, tàm prospera, in qua multa præter expectationem non acciderint? Quid imbecillius porrò & miserius humano genere? Quotusquisque nostrum est, qui vitam in crastinum polliceri sibi poßit? Circumspiciamus quæso exempla & monimenta veterum. Dolebimus ne quod ex hac breui & caduca, & molestiarum plenißima vita, in æternam ac iucundißimam, omniq́; genere bonorum affluentem migrauerit? Dolemus immatura morte, plenum spei maximæ, & firmata iam virtutis stirpe extinctum esse. Potest ne vllum genus mortis intempestiuum esse, quod naturæ neceßitate ita volente nemo vitare potest? Fratrum adhuc adolescentum optimorum & ad omne laudis genus expectatißimorum florens copia superest. Nonne omnibus vel naturæ dotibus, vel doctrinæ præsidijs instructißimi sũt, & planè tales, quales parentum votis meritò desiderari debent? Quod si dolori finem omnino imponere nō

possumus (quàm autem sit difficile, nec ipse ignoro, & vobis assentientibus, optima ratione impulsus, lubentissimè credo) temperare tamen eum, & certos illi limites statuere debemus. Nullo omnino dolore affici & commiseratione belluinum est, sed modum statuere, prudentium tantum. At in his calamitatibus, a quibus nemo excluditur, & quæ communes sunt omnibus, quasque nullus effugere potest, vltra quàm par est, & quàm Christianos decet, animo prosterni, puerile est, & pusillanimitatis signum. Quis enim tàm ignarus est rerum, qui nesciat nos hac lege in hanc lucem productos esse, hac conditione creatos, vt tandem immortalitatis præmium consequamur? Sed mors temporalis hæc quæso quid aliud est, nisi præparatio ad illud æternum præmiũ? Quis tàm iniquus rerum æstimator est, vt illud non cæteris rebus omnibus anteponat, in hoc vno omnem spem suam figat atque collocet, in hoc vno tanquàm in desiderato bono acquiescat? Quid enim homo non faciat ad perpetuum illud bonum cõsequẽdum? quo detracto, quid est, quod in hoc tàm exiguo vitæ curriculo, & tàm breui, tãtis nos in laborib. exerceamus in tot curis, vigilijsque angamur? toties de vita ipsa periclitemur? & vix vllum vnquàm tranquillum, aut ociosum spiritum ducamus? Itaque qui hunc è vita discessum deplorat, obsecro quid aliud agit, nisi quod summum bonum, in quo tota beatæ & æternæ vitæ ratio consistit, aspernatur, sibique ipse summam felicitatem inuidet. Possumus ne aliquod auxilium afferre necessitati? ægre ne ferimus nos ea conditione esse, qua omnes sunt homines, cupimus ne effugere id, quod nobis cum omnibus commune est? Quicquid naturæ necessitas inducit, æqui boniq; cõsulendum est, & nequaquàm dolendum contigisse id nobis, quod nemini non accidere potest. Quod si originis nostræ initia repetere voluerimus, videmus

ne quàm

ne quàm imbecillum animal ſit homo, quàm omnibus fortunæ in
iurijs ſit ob noxius, nullo non mali genere oneratus, adeò vt Græ
ci dixerint, ἀνθρώπου μηδὲν εἶναι ἀβεβαιώτερον. Nihil firmum
in rebus humanis, omnia caduca, & cuiuis fluctui cedentia.
Quid ſtultius, quàm inclamare illum, a quo omnis ſenſuum fũ
ctio receſſit? qui in meliori vita cõſtitutus, miſeros nos deridet at
que deludit? fatum nec æneus murus arcere poteſt. Tendimus
ad mortem, metam properamus ad vnã. Omnia ſub leges mors ”
vocat atra ſuas. Humana omnia sunt mortalia, & celeres ha- ”
bent exitus, iniuriæ temporum & fortunæ reciprocis vicibus
obnoxia, ſolus Deus immortalis eſt, ſecretus ab omni iniuſtitiæ
labe, expers omnis ſenij & mutationis. Quod ſi præteritorum me
moriam retractare licet, inſpiciamus exemplũ Dauidis Regis, o-
mnium quos terra tulit vnquã potentiſſimi & ſapientiſſ. diuiniq;
cultus, ſi quiſquã alius obſeruãtiſſimi, qui cum de filij, quẽ in ocu
lis & complexu habebat ſemper, valetudine minus proſpera à
domeſticis ſuis certior factus fuiſſet, moleſtè ſanè, acerbeq;, vt pa
trem indulgentiſſimum decuit, id tulit, atque ſtatim Deo pro in
columitate ipſius ſupplicare incepit, more patrio humi in faciem
proſtratus, & amictus veſtitu lugubri, per triduum abdicato ci
bo & potu, et omnibus delitijs, ſperans se à Deo impetraturum,
vt filius, quem vnicè diligebat, diuina miſeratione ſanitatem re
cuperaturus eſſet. Quas preces cum iam irritas eſſe cognouiſſet,
ſpeq; ſalutis adempta, mors filij illi nunciata fuiſſet, ſtatim lætus
ſolio aſſurgens, Deoq; gratias agens, lugubri veſte abiecta, in-
dutaq; purpura & torque aureo, ſumptoq; cultu, qui Regem de
cet, domeſticos ſuos omnes ſatrapas & toparchas ſplendido ac
magnifico apparatu excepit, & hilariter illum diem agere pro
imperio iuſſit. Quod Regis optimi factum cũ admirarentur qui

dam, lætus respondit. Quid iam mærore me conficiam? aut quid frustra dolorem augebo? antea cum puer in viuis adhuc esset, morboq́ grauiter oppreßus, nō minimum sæpè periclitaretur, & salutis dubia spes adhuc reliqua superesset, putaui fore vt Deus meis precibus quas crebras ad illum feceram adductus, filio sanitatem restitueret, meique voti compotem me faceret Nunc cū omni spe exclusus sim, isq́ naturæ & neceßitati satisfecerit, fieriq́ non poßit, vt quisquàm cum semel naturæ debitum persoluerit, denuò ad nos ab inferis reuocetur, nulliq́ amplius ad nos accessus concedatur, dolori, quem iustißimum cepit ex filij charißimi morte, supersedebo, & lætus id tempus, quo nobis vnà cum illa cælestium animorū cohorte esse, & coram loqui licebit, expectabo, ò admirandam Regis prudentißimi constantiam animi, ò infractam in rebus aduersis ferendis, & calamitatibus tolerandis pertinaciam. Sed nihil mirum in Dauide tātam animi altitudinē extitisse, cū præceptis religionis optimè instructus, quicquid hominibus aduersi contingeret, id annuente Deo fieri, minimè ignoraret. Illud potius admiratione dignum homines à vera religione alienos, & veræ fidei penitus ignaros, præmiorumq́ quæ hanc vitam consequi solent, omnino inscios, tanta pertinacia in calamitatibus tolerandis fuisse. Quid quæso præclarius, aut omnium ætatum memoria celebratu dignius, quam illa diuina Anaxagoræ vox? οἶδα ὅτι θνητὸν ἐγέννησα. *Quid de Pericle Atheniensium duce, rei militaris scientia instructißimo, & ad res præclarè gerendas nato, dicam? in quo nescio vtrum dicendi peritia & eloquentiæ studium, an animi robur & constantia præualuerit. Is cum in vnius quatridui spatio, vtrunque filium, adolescentes spectatæ indolis, & ad omnem virtutis laudem expectatißimos, morte sublatos esse intellexisset, nihil ingemuit,*

muit, vel vultus mutatione doloris significationem præbuit, sed cõstantissimè mortem vtriusque tulit, nec quicquam de pristina animi seueritate remisit, & dolori quem incredibilem animo ceperat quàm citissimè callum obduxit. Quid de Xenophõte, omni genere laudis dignissimo, & vno ex omnibus græcæ facundiæ facilè principe, verba faciam? nonne tãtum iam vtilitatis ex studiis bonarum artium hauserat, vt se hominem, id est, mortalem esse cognosceret optimè, & humani nihil alienum a se putaret? cui cum de filij, quem incredibili amore prosequebatur, obitu inter sacrificandum nunciatum esset, eumq; in castris strenuè pugnantem, & boni militis officio functũ occubuisse diceretur, nullum aliud doloris signum exhibuit, nisi quod coronam quam gestabat pro more sacrificantium depositam capiti iterum adaptauit. Præteribimus ne silentio Dionem Syracusanum, qui cum amicis fidatioribus conuocatis consilium de re magna caperet, subito tumultu oborto, interroganti quid rei esset responsum fuit, filium ex altiore parte domus delapsum esse, vitamq; cum morte commutasse. Quo audito, non solùm non obstupuit, sed ne vllũ quidem mærorem præ se tulit, tantumq; ab fuit, vt amicos dimitteret, aut ab incepta consultatione desisteret, vt statim mulieribus in mandatis daret, vt filius honorificè sepeliretur, illique pro more patriæ quam honorifica iusta fierent. Pari constantia in morte charissimæ filiæ, matronæ pudicitia & honestate claræ, Demosthenes summum illud eloquentiæ lumen fuit. Quem Rex Antigonus imitatus non minora fortitudinis suæ specimina posteris reliquit. Q. Fabius Max. Consul sapientissimus, & omni virtutum laude præstantissimus, filium summæ indolis, & praeclarissimarum actionum laude insignem, mortuum non modò non luxit, sed & laudes eius publicè decantauit. Cato Censorius, ex morte filij, adolescentis ad omnia summa nati, & præclara di

E

gnitate iam ornati, non tantum vulnus accepit, quin negocia Re pu. segnius deinde administraret. Sed quid nos hæc ex priscorũ annalibus repetimus? quasi verò non quottidiana vita, satis exẽplorum suppeditet? Quis fuit Paulo III. Pont. Max. eodemq́ morum & vitæ sanctimonia probatißimo, in doloribus vincendis pertinacior? Qui cum filiam talem, tot & tam eximijs ornamentis præditam, virtutis, ingenij, humanitatis & prudentiæ laudibus cum paucißimis certantem, amisisset, eiq́ res diuina facienda esset, nihil eius obitu commotus, aut animo fractus, in publicum audacter prodijt, occultatoq́ mærore quo intus penè conficiebatur, sacra pro consuetudine maiorum suorum peregit. Sed inter tot & tanta exempla nullum illustrius, nullum posteritatis commendatione dignum magis, quam quo hodie nobilißima familia optimo iure gloriatur. Quis nõ nouit Laurentium Medicæum, qui toties hodie est in ore & literis eruditorum, virum illũ ad omnia sũma natũ, omni genere laudis excellẽtem, bonarum artiũ patronũ, patriæ cõseruatorem, qui toties vrbem præclarißimam a tyrãnide inimicorum miserè vexatam liberauit, in quem Dij atq; homines omnia sua ornamẽta cõgesserant? hic euobijsset interq́ mortales esse desijset is, qui toties pro Reipublicæ incolumitate se periculis audacter exposuerat, ac vitam etiã pro eius salute profundere, si necesitas ita postulaset, nõ dubitauerat, quem patri tum animum fuise creditis, cum cogitaret, se amisise filium, quo vnico nitebatur, in cuius spe requiescebat. eius interitũ non vniuersa Italia tantum, sed quod magis est, bruta animantia quoque rationis omnino expertia luxerunt. Atqui pijsimus pater, paratus ad omnem fortunam, cuius vim toties expertus fuerat, ne inconstantior ese, aut a veteri illa animi altitudine desciscere vllo modo velle videretur, neq́ malum malo cumularet, nihil animo consternatus, aut fractus, gemitus omnes &

& lachrymas incredibili patientia, & animi fortitudine superauit, vimq; facere suis affectibus voluit, consolantibusq;, eumq; a doloris molestia abducere conantibus amicis benignas aures pro innata sua humanitate libētissimè præbuit, minimè nescius, eos casus æquo animo ferendos esse, quos nulla ratione vitare possumus; nihilq; noui accidisse sibi apud animum expendens, moderatè hanc calamitatem tulit, & maximo semper animo, vt grauem & sapientem virum decuit, fuit. Homini enim melior vita superest & longior, vt è prophetarum & vatum diuinis vocibus discitur. hanc præsentem cum suis bonis contemnere sapientis est, cuius omnis iactura immortalitate pēsatur. Quod si quis secum paulo exactius consideret, quot malorum generibus hæc calamitosa vita affluat, quot curis et angoribus prematur, quot morborum generibus sit obnoxia nonne meritò ridiculus censeri debet is, qui diutius illa, quam Deo visum fuerit, frui cupit. Dolebimúsne si quis ab hoc malorum cumulo liberetur? lachrymisne conficiemus nos? inuidebimúsne illi præmium virtutis, quod post mortem demum conceditur? Cicero quamuis diuinarum literarum prorsus ignarus esset, & a religionis nostræ mysteriis auersus, quamuis dubitanter tamen sensit, summum homini bonum non nisi post mortem contingere. Fidenti animo (inquit) si ita res feret, gradiemur ad mortem, in qua aut summum bonū, aut nullum malum inesse cognouimus. Mors igitur non extinguit hominem, sed ad virtutis præmium admittit; et in causa est, vt diuinos immortalitatis fructus capiamus, bonisq; æternis fruamur, contemptis vtiq; terrestribus, et fragilibus. Nihil est, vt ait Tullius, quod sit manibus humanis laboratum, quod non aliquando ad interitum redigatur vel iniuria hominum, vel ipsa confectrice rerum omnium vetustatē. humana omnia fragilia, mortalia atque caduca sunt, fama virtutis autem, & memoria

nominis, quia animi bona sunt, æterna sunt. Unum & summum bonum est immortalitas, ad quam capiendam, & formati a principio, & nati sumus. Ad hanc tendamus oportet, hanc spectemus, hanc deprehendamus necesse est. Ad hãc manu quasi nos ducit mors hæc tẽporalis, viamq; nobis præmunit, per quã licet ad summum illud bonum ascendere, quo nihil antiquius, nihil charius homo habere debet. Finxit equidem natura rerũ parens hominem tenui, & imbecillo corpusculo, ex materia solutu facili conflatũ, & fragili, vt omnibus mutationibus obnoxius esset, & a quo nulla infirmitas, quæ mortis imaginem præ se fert, abesse posset, & vt in qualibet ætate mortalis esset. Quæ ideò a me dicuntur omnia, vt testatum faciam, nos aliquando doloris acerbitate victos, nobis ipsis nimium indulgere, minusq; perspicere ea, quæ nobis cum omnibus communia sunt, & ob mollitiem vincere naturæ incommoda minimè posse, neq; ad memoriam reuocare, quid grauitas nostra requirat, omninoq; impatientiores esse, quàm animi constantia, & firmitas patiantur. Quod si in hoc breui, & exiguo vitæ curriculo nihil non laborum insumimus, toties periculo mortis nos obijcimus, nullum nõ molestiæ genus recusamus, ad acquirenda ea, quæ mortalia, caduca, & infirma sunt, opes, honores, quanto magis totis, & animi, & ingenij viribus ad ea bona contendere debemus, quæ nulla temporis longinquitas aut delere, aut absumere vetustas potest. Et quid hæc misera vita habet excellens? cuius maxima pars ærumnarum omnis generis plena præterlabitur. Dicamus potius, vt religione Christiana, & bonis moribus imbutos decet, cum sanctissimo vate Regio. In manibus (inquit) tuis tempora mea, hoc est, dies fatalis, seu longus, seu breuis est futurus, tibi debetur, atq; ex tuo arbitrata omnia mea decurrant. Ad quem modum vnicum patientiæ exemplum D. Hiobus ferè sic quoq; loquitur. Bre-

uis

nis dies hominis, numerus mensiũ eius penes te est, constituisti terminos eius, qui praeteriri nequeunt. Et quid habet haec vita, propter quod magnopere sit expetẽda? cũ tam multi in ipso virtutũ flore ea destituantur, tã multi vix dum inchoata infantia, et vix dũ è carcerib. egressi, et ab vtero matris exclusi opprimãtur statim, tot deniq; mortis sint discrimina, tot diuersi, atq; immaturae et aetatis horrendi exitus, quorum omniũ rationem inire, aut facti causã explicare nequeas, non est quod sinistrã de Deo opinionẽ concipiamus, aut parùm reuerenter de eo sentiamus, verũ omnia inscrutabili consilio eius attribuenda sunt, et dicẽdũ cum Poeta, ὅττι δίδωσι θεὸς, ἀγαθῶς φέρε, μὴδ' ἀγανάκτει. Quod aũt idẽ non malos tantũ, et omni flagitiorum atq; scelerũ genere cõtaminatos, et ad oẽm nequitiã instructos, sed et probos, morũq; sanctimonia conspicuos, et innocentiae laude praestãtes è medio tollit, citiusq; omnino iudicio rationis vinculis corporis exoluit, id diuinae prouidentiae, cuius nutu ac voluntate gubernãtur omnia, certiss. est argumentũ. Ne. n. probi malorum contagio afficiantur, eorũq; consuetudine, et consortio deteriores reddantur, et ad oẽ genus nequitiae abducantur, ideò Deus cupiens illorũ saluti consulere, & a vitiorũ illecebris abstrahere, saepè in medio cursu vitã illis abrũpere solet. Ad quid igitur tot lachrymae? nullus ne tandẽ moeroris finis erit? quid tandẽ illius obitũ, decessionemq; lugemus? cõtigit ne illi aliquid quod sit luctu, et lamentatione dignũ? Quod si vitã illam cogitamus beatã, et immortalẽ, quae in caelo his qui cũ fide et pietate hic vixerunt, post mortẽ a Deo est proposita, nihil omnino earũ rerũ, quib. illa cõparatur praetermisit optimus, idéque praestantiss. Card. sed cum mecum reputo, quãtus vir fuerit, quibus virtutib. ornatus, quãtae curae illi fuerit ecclesiae honor et autoritas: cogor ignoscere affectibus, et veniã dare, si mollius fortasse aliquando haec incõmoda ferimus, quàm animi illa constan

tia patiatur. Sic.n.a natura cōparatum est, vt eorū, quorū egregia in Remp. merita extant, quib. amicitia et cognatione iuncti fuimus, qui omni tēpore ætatis suæ illustres extiterunt; quorum virtus, et officij diligentia, nulla oratione pro dignitate exprimi, aut verbis proferri pōt, memoriam ex animo euellere nullo modo poßimus; cū in medullis penitus nobis sint infixi, et mortui etiam frequentes in sermonib. et cogitationibus nobis sint. Atqui si oēs quib. aliquo modo deuincti sumus, aut cū quib. aliqua neceßitudo nobis intercedit, vel quos ab ineunte ætate amore sēper prosecuti sumus, hac lucis vsura priuatos, et ad longe meliorē vitā trāslatos, calamitatum omniū penitus expertē, diutius lugere vellemus, quis tandē finis lachrymarum futurus esset? Fruitur ille vera perpetuaq; lætitia, nos in inani dolore positi, mærore contabescimus, malumq; malo cumulamus, et frustra nos metipsos cruciamus, et curis inutilib. affligimus, malūq; exasperamus tantū, nō lenimus. Et quia humanæ cōditionis minimè rudes sumus, et omnib. semel mori statutū esse certò nouimus, nequaquā animū ita deijciamus, ut extolli ad æquitatē nunquā poßit. Meminerimus potius homines nos esse, nosq; in hanc vitā, tanquam in hospitiū ita esse ingressos, ut accitu sūmi Dei, æternum illud cæleste domiciliū petituri, ex hac rerum humanarū caligine migremus, et quancunq; fortunā occasio nobis obtulerit, æquo animo toleremus. Præclarè potius existimemus actū esse cū his, qui ex hac misera vita decesserunt, conspectuq;, et consuetudine cælestiū animorū fruuntur, curis vacui, omni lætitiæ genere affluentes, nihilq; sinistri pertimescentes, cū interim nos, specie quadā bonitatis decepti, quib. hac falsa lucis vsura, et calamitosæ vitæ dulcedine prorsus amara nihil gratius atq; iucūdius est, mille molestijs quottidie opprimamur, nullo nō mali genere vexemur, neq; vllus sit ex omnib. qui cum ad summū felicitatis gradū peruenis

se se sibi persuadet, vix primorib. labris eã degustauerit, multáq; sibi adhuc ad summã perfectionẽ, pudore suffusus, et quottidiano rerũ vsu edoctus, deesse animaduerterit. Nihil syncerũ habet humana vita, omnia sunt imperfecta, mutila, & fuci plena. Qui sapiẽtiam coluerũt, nõ vt ætatis, sed vt virtutũ suarũ cursũ cõplere possent, optare soliti sunt, parùm solliciti, quocũq; tãdem tẽpore vita persungerẽtur, aut morte corriperẽtur, omne studiũ & diligẽtiam in posteritatis memoria tãtum, & famæ celebritate adipiscenda ponentes. Quorum fundamentis & nos inniti decet, dolorisq; tãdem finẽ cõstituere, & ex animo mæstitiã pellere, & dolorẽ penitus euellere oportet. Quod si luctu nihil proficitur, abstergamus ipsũ, & Cardinali nostro etiam gratulemur, quod præditus optima mẽte, sine vllo mortis sẽsu (quod in pios tãtum, & sui similes cadere solet) solutus ab omni cõsciẽtiæ scrupulo, purus ab omni labe, ad cõspectum Dei, quem tãta animi cõtẽtione coluerat, cuius amore incredibili sẽper flagrauerat, in quem solũ suam spem collocauerat, & in omnibus actionibus suis scopũ proposuerat sibi, in cælũ euolauerit, eamq; sedem obtinuerit, quæ immortalitatis præmiũ cõsequitur. Quã qui poßidere cogitãt, multa prius sustineant, necesse est, nec ita facilè aditus cuiq; patet. Via enim quæ ad hãc felicitatem ducit, valdè aspera est & angusta, spinis & sẽtibus horrida, difficultatisq; plena, quã nemo nisi cum maxima cadẽdi sollicitudine ingredi potest. Sed qui semel eius difficultates superauit, huiusq; mũdi illecebris spretis, omniq; vana gloria cõtempta, voluptatibusq; abdicatis, totũ Deo se deuouerit, virtutiq; strenuè operã nauauerit, et Christianis virtutibus, hoc est, iustitiæ, temperantiæ, sapientiæ, & reliquis quæ has comitãtur innumeris, cũctis & animi & ingenij viribus studuerit, hisq; paupertatẽ, ignominiã, laborẽ & omnes acerbitates adiunxerit, næ ille ab imperatore nostro, sũmoq; duce, & omniũ

bonorũ fonte & autore vnico, Deo Opt. Max. perpetua præmia nemine refragãte (quis enim voluntati illius repugnare ausit, nisi quis ita obstupuerit, vt penitus omnis sẽsus ei sit ereptus) consequetur, tãdemq́ omni molestia perfunctus, ijs bonis fruetur, quæ æterna sũt, quæq; nulla vel tẽporis lõginquitas, vel memoriæ obliuio abolere vnquã poterũt. In rebus humanis autem, quid ames, cũ omnia fluere, ac labi, nihil intra orbem lunæ firmũ esse, nihil idẽ a mane ad vesperã, quottidie cernas? Quod igitur optimus et sãctißimus Cardinalis Ioãnes de Medicis spes altera patris, quo Ecclesia nitebatur, generis et maiorũ suorũ nobilitate, suã virtute clarus, omnib. animi, corporis, fortunæ bonis ornatus, tàm subitò nobis ereptus, rebusq́ humanis, magno totius Ecclesiæ incõmodo exeptus est: Dei, cui nefas est obstrepere, & cuius nutu atque cõsilio administrãtur omnia, volũtas fuit, obitũ ipsius moderatè ferre, lachrymisq́ finem imponere, nostrarũ partiũ est. Hæc habui, viri optimi & clarißimi, quæ de morte & laudib. huius tẽperatißimi, & omnibus rebus præcellẽtißimi iuuenis, Ioannis Medicæi Card. in medium afferrẽ, quas si non pro dignitate, & quem ad modum earum magnitudo postulabat, enumeraui (quis enim poßit, cum tot, & tantæ sint?) non voluntati, quæ mihi semper fuit optima, sed materiæ amplitudini attribuatis. Reliquum est vt Deum salutis nostræ autorem, & creatorẽ omnium, ex animo rogem, vt quotiescunq; illi visum fuerit, nos etiam ex hac teterrima rerum humanarum caligine eductos, omniq́ huius miseræ vitæ molestia perfunctos, in æterna illa arce collocare, & cũ cælestium animorum cætu coniungere, immortaliq́ uita donare elit. Dixi.